



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni**

**Pedro <de los Angeles>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1681**

Sectio III. An per clausulas generales revocentur Privilegia, seu statuta inserta in Conciliis Generalibus?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61715)

SECTIO III.

An per clausulas generales revocentur privilegia, seu statuta inserta in Conciliis Generalibus.

197 1. **L**oquimur solum de clausulis, num. 7. sectionis antecedentis, in prima classe constitutis, nam de secundis agemus *sect. immediatè seq.* Dubitatur ergo, an per dictas clausulas generales revocatorias inclusas in privilegiis, quæ leges universales non sunt, derogentur privilegia, seu constitutiones inclusæ in aliquo Concilio Generali, sine specifica mentione illius, quando dispositum in privilegio novo, taliter contrariatur dispositioni Concilij, ut sine derogatione illius nequeat effectum petitum ex proprietate sermonis habere; quia si talis effectus possit salvari, illæsum debet manere Concilium, ut diximus *Conclus. 3. num. 2. 5. sectionis præterita.* Nam ibi dicta fortius militavit in dispositionibus Conciliorum Generalium.

198 2. Negativè respondent multi, quia cum jura Conciliorum Generalium sint fortiora, utpotè stabilita per tot viros doctissimos. Post tot controversias, & disceptationes, ut derogentur sunt digna majoris notæ, quàm quæ in corpore juris communis inveniuntur. Unde oportet illa in specie explicare, saltem sub clausula, *Etiã contentis in Conciliis Generalibus*, nec sufficit dicere: *Etiã contentis in constitutionibus Apostolicis*; sic tenent Doctissimus Covarr. *lib. 4. var. cap. 16. n. 4. & 6. decret. 2. p. cap. 8. §. 9. num. 6. di-*

cens: Totum mundum hoc amplecti, Menoch. *Conf. 294.* Molin. *Tom. 1. de just. & jur. tract. 2. disp. 173.* Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 26. num. 7.* Bonacin. *disp. 1. q. 3. punct. 8. num. 13.* Palao *Tom. 1. tract. 3. de privileg. disp. 4. punct. 21. §. 4. num. 6.* Addens hoc verissimum esse, etiam si revocatio fiat sub quacunque forma, aut clausula generali, nisi exprimat Concilium, saltem sub generalibus verbis, dicendo: *Non obstante quacunque constitutione Apostolica, etiam in Concilio Generali edita*, ut colligitur ex *Cap. Ex parte, de Capell Monachor. & ex Cap. nonnulli, de rescript.*

3. Sed hoc limitant, nisi aliter constet de voluntate derogantis, nam si clarè constet velle Principem sub verbis generalibus privilegiis, etiam qualificatis derogare, derogata manebunt; quia quocunque modo Pontifex suam voluntatem declarat; etiam si formam communem clausulæ derogatoriæ non servet; privilegium seu statutum Conciliare revocabit, sic relati Authores, & habetur decisum apud Farinac. *Tom. 3. decis. 614. n. 3.*

4. Ex quo infert Palao n. 7. (& est secunda sententia) cum relatis: Dispensationes super impedimèta affinitatis, & consanguinitatis obtentas à Pontifice, vel à Sacra Pœnitentiaria, cum clausula *non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis*, ceterisque contrariis quibuscunque, validas esse, & si non fecerint expressam mentionem Constitutionis contrariæ Concilij generalis, relati in *Cap.* non debet, *de consang. & affin.* quia ex usu, & praxi iudicatum est, voluntatem Pontificis esse, pro illo casu speciali Concilij Gene-

199

200



ralis dispositioni derogare. Præterea illa generalis derogatio solum potest habere effectum circa illius Concilij Generalis dispositionem; quia nullibi est alia prohibitio: Ergo reputari debet, ac si derogatio esset formaliter specifica, *ex l. 2. ff. de lib. & posth. & ibi Jason, & tradit relato Felino, Sanchez lib. 8. de matrimon. disp. 35. num. 17. hæc Palao dict. num. 7. & postea explicans, quando præsumenda sit scientia, & voluntas Pontificis, cum verba privilegij, seu rescripti nihil aliud continent, nisi novam dispositionem repugnantem priori privilegio, seu dispositioni, resolvit num. 11. quod quando primū privilegium est insertum in corpore juris, derogatur secundo privilegio per clausulas generales derogatorias; etiam sine mentione specifica talis juris, in ea parte, qua illi contrariatur novum privilegium; quia præsumitur scitum à Principe, ex *Cap. de constitutionibus in 6. & addit hoc verum habere, sive novum privilegium sit speciale, sive generale, sive insertum sit in jure, sive non, & citat pro se Bonac. Salas, & Basilium de Leon. lib. 6. cap. 14. n. 14. ex qua doctrina, cum nullam faciat distinctionem inter jura communia & Conciliaria, ut constat ex limitationibus, quas refert *ibidem*, videtur clarè sentire Palao, quod quando privilegium novum nullum effectum potest habere, nisi derogando dispositionibus, etiam Conciliaribus, illis derogabit per quasunque clausulas generales. Imò addit Donatus *Tract. 14. quest. 4. num. 12.* cum multis, quod nunquam D. Papa de illo jure, cui per privilegium derogat, fuit solitus in pri-**

vilegiis mentionem facere, & quod ita observat stylus Romanæ Curia, ut patet in dispensationibus matrimonialibus, & in aliis quotidianis indultis. Et ratio est, quia præsumitur habere Pontificem sufficientem notitiam juris, cui derogat, vel ex supplicata, vel ex generali ratione, quod omnia jura communia sint in scrinio peccatoris Papæ; & cum nova concessio nullum alium effectum possit habere, nisi derogando dispositionibus cujuscunque juris communis, derogatum reputatur, ut ait Palao *supra*, & est quasi formaliter specifica talis revocatio, ne cogamur dicere, nugatoriam, & frustraneam fuisse concessionem Pontificis, juxta supradicta *sect. 2. conclus. 4. num. 14. & 15.* & potest probari ex *Cap. in his, de privileg.* cujus mentionem fecimus *dict. sect. 2. dub. 3. num. 13.* & ita tenent expressè Innocent. *Cap. Ex parte, de Capell. Monach.* ubi ait: *Non esse faciendam magis mentionem Concilij Generalis, quam alterius juris;* cujus opinionem ait Felinus in dicto *Cap. Nonnulli num. 3.* fortasse esse veriore per dictum textum, & quia opinio contraria, licet multorum, jure non probatur. Sequitur etiam Cenedus in *Collect. 123. ad dictum cap. Nonnulli in 3.* ubi ait, valere Rescriptū, etiam contra legem Conciliarē, cum clausula derogatoria generali, & quod non sit necessaria specialis derogatio Concilij: & ad objectionem, ex ipso *cap. Nonnulli*, respondet, illius decisionem procedere, non quia lex Concilij, sed quia specialiter fuit cautum, quod in illo casu sit necessaria specialis derogatio, ut innuit littera textus.

Ad



Ad id autem, quod solet objici, ex *Cap. Ex parte, de Capell. Monach.* respondet, quod rescriptum, de quo ibi, nullam mentionem faciebat Concilij contrarij, neque in specie, neque in genere, ita quod non habebat clausulam derogatoriam, neque specialem, neque generalem, quæ saltem erat necessaria.

201 5. At Pater Suarez *lib. 2. de legib. cap. 1. §. num. 7.* minimè satisfactus hac solutione; notandam Doctrinam tradit. Ait enim, quod Concilium, cui privilegium illud repugnabat, generale non fuit, & sic revocatione non indigebat: nam ad summum revocatio requiritur pro Conciliis Generalibus, quia ut multi docent, lex Concilij Generalis habet hoc privilegium, ut intra se contineat clausulam resistentem, pro futuris privilegiis, etiam si illam non exprimat. Quod si objicias æquiparari in hoc illud Conciliū Conciliis Generalibus per assistentiam Papæ *Alexan. III.* & multitudinem Episcoporum, qui illi interfuerunt; respondet Suar. hæc profecto nimia ampliatio est illius regulæ, & statim addit, eò vel maximè, quod nec de legibus Conciliorum generalium est solidum illud principium (nempe quod Concilia generalia habeant privilegiū clausulæ resistentis pro privilegiis futuris) quando illam expressam non habent, vel formalem, vel æquivalentem, quod prius docuerat *num. 6.* adhuc loquendo de Concilio Tridentino. Itaque sentit Suarez, quod decreta Conciliorum Generalium, etiam Tridentini, si non habeant clausulam resistentem expressam, pro futuris privilegiis, revocata manebunt per nova

privilegia, etiam si non faciant mentionem Conciliorū Generalium, dum habeant clausulas generales derogatorias; in casu, quod nullum alium effectum in proprietate sermonis possint sortiri, nisi contraveniendo dispositis in Concilio Generali.

6. Unde meritò pro relata sententia citat Garciam *de benefic. part. 4. cap. 5. num. 28.* & P. Juniperus *supra*, citat ipsum Suar. & respondet cum Felino objectioni factæ, ex *Cap. Ex arte, ibi: Non reprobari privilegium solum, quia non faciebat mentionem legu Concilij, sed ratione materia, quia videbatur esse parum consentanea bonis Religiosorum moribus.* Unde cum esset etiam contra jus, & illius derogationem generalem non haberet, suspensionem subreptionis generabat, & nihilominus non tanquam invalidum, & subreptitium reputatum est, sed à Pontifice fuit revocatum, tanquam minus conveniens: & ita potest ille *text.* potius in contrarium, pro nostra sententia adduci. Hæc Suarez ferè ad litteram; quæ magni ponderis sunt pro hoc modo dicendi, & ut valde probabilis habetur, & illum acriter defendit P. Juniperus à Drepano *de juris Pontif. defens. disp. 3. cap. 2. per totam*, etiam si in privilegio non sit clausula revocatoria; iterum eum defendit *2. part. de casibus reserv. disp. 7. quest. 4. cap. 2. n. 10.* licet in hoc loco, clausulam generalem revocatoriam petat.

7. Denique Constitutiones Apostolicas à Conciliaribus nihil differre, tenet Alciatus *Paradox. lib. 6. cap. 10.* Doctissimus Saagum, *Cap. 5. de rescript. num. 24.* & Juniper. *supra*, dicentes, generalem



neralem revocationem sufficere, & ita in praxi frequentissimum esse, & *Pij V.* Constitutione confirmari. Denique *Garcia de benefic. ubi supr. n. 29.* hanc opinionem *Innocentij*, & *Suarij* dicit esse valde probabilem in puncto juris; non tamen recedit à contraria sententia, quia multorum *Doctorum*, & *praxi*, & novo stylo *Curia* approbata invenitur, quidquid dicat *Saagum*, & alij in contrarium.

204 8. Habes igitur ex dictis, pro resolutione dubij duplicem sententiam inter se pugnantem, quarum qualibet, pro se multos, & graves *Doctores*, nec levia fundamenta habet, ex quibus negari non potest utramque esse satis probabilem, & sic sentit *perdoctus Joann. Martin. del Prado Tom. 1. q. 4. num. 29* sed pro mea sententia

205 9. Dico primò, quando privilegium novum nullum alium effectum in proprietate sermonis potest habere, nisi contraveniendo dispositioni *Concilij*, etiam generalis antiqui, & tale privilegium est favorabile, & respicit favorem animarum, & forum conscientia, & juxta praxim non est de re omnino inusitata, & difficillimæ concessionis, nec reputatur valde exorbitans, nec tertium lædit in jure quæsitò; maximè in rebus temporalibus gravibus, nec lites generat; si cum discretionem exerceatur; cum solis clausulis generalibus derogabit dispositioni *Concilij* Generalis, cui opponitur, quia præsumendum est *Summum Pontificem* id concedere, & illi derogare voluisse. Tum, quia ut docent communiter *Doctores*, privilegia favorabilia, & quæ respiciunt bonum animarum, taliter

interpretanda sunt, ut semper operentur aliquid in favorem ipsarum animarum; ne frustra concessa videantur. Tum, quia de benignitate *Supremi Pastoris Ecclesie* præsumendum est, quod in tali casu intendat aliquem favorem concedere suis ovibus; quando nullum aliud inconveniens sequitur, nisi solum aliquo modo, vel suam, vel suorum inferiorum jurisdictionem extendere ad privilegiatum. Tum denique, quia ut bene notavit *Pelizarius supr. sect. 2. num. 7.* multa pro foro conscientia possunt licite fieri, quæ in foro exteriori debent omitti.

10. Dices ergo, quamvis in tali privilegio non inveniatur clausula derogatoria adhuc generales, privilegium tenebit, etiam si sit contra dispositionem alicujus *Concilij* Generalis, ut diximus supra de jure communi.

11. *Authores* relati pro secunda sententia non renuent id admittere; cum nullam differentiam agnoscant inter jura *Conciliaria*, & alia communia, ut vidimus. At mihi respondendum videtur, negando sequelam, ex illo principio admissò à *Felino*, & alijs communiter, quod jura *Conciliarum* Generalium, propter eorum maximam authoritatem includant virtualiter, seu æquivalenter clausulam generalem resistentem, pro futuris privilegijs; etiam si illam non exprimant. Unde ad vincendam hanc resistentiam, privilegia nova debent habere clausulas revocatorias, saltem generales, quod non est necesse respectu juris communis, quia ex se talem resistentiam non habet, nisi illam exprimat, videant-

206



videantur omninò, quæ diximus *sect.*  
2. *conclus.* 4. *num.* 26. & 27. & dicenda  
*infra* in hac eadem sectione.

207. 12. Dico secundò, in aliis privilegiis,  
quæ sunt difficillimæ concessionis, quia  
rarò, vel non sine magnâ difficultate  
conceduntur; tanquam exorbitantia,  
vel tertium lædunt graviter in iure ac-  
quisito, maximè in rebus temporalibus,  
nisi contineant clausulam derogatoriam  
specificam Conciliorum generalium  
expressam, & formalem; saltem sub  
nomine Concilii generalis in communi,  
non derogant statutis, vel privilegiis  
insertis in eis, etiamsi clausulas  
generales derogatorias primæ classis  
contineant nova privilegia, & quàmvis  
nullum effectum possint sortiri, quia  
præsumuntur vel subreptitia, vel obre-  
ptitia, ob defectum expressionis, in sup-  
plica, vel non adfuisse voluntatem  
Pontificis talibus derogando; nam si  
illam haberet, exprimeret. Unde, quan-  
do non exprimit cum de facili possit  
per ipsum non exprimere, sufficienter  
declarat non habuisse voluntatem nec  
revocandi unum, nec concedendi aliud,  
maximè cum sciatur de stylo, hoc esse  
necessarium; præcipuè in rebus exor-  
bitantibus: & sicut in concessionibus  
communiter dicitur, quòd non intelli-  
guntur concessa, quæ si exprimerentur,  
non concederentur, vel non ita facilè,  
ita non intelliguntur revocata, quæ si  
exprimerentur, non revocarentur, vel  
non ita facilè.

208. 13. Dices: Pontifex habet scientiam  
jurium Conciliorum generalium, quia  
sunt iura communia. Quid ergo opus  
est expressione talium jurium ab impe-  
trante? Respondeo, quòd talis expres-

sio requiritur de stylo, & praxi, ut vo-  
luntas Pontificis manifestetur: vel dic-  
cum aliis non esse inconueniens admit-  
tere in Pontifice aliquando cum scien-  
tia juris, oblivionem, seu ignorantiam  
actualem, quæ dicitur inadvertentia, &  
à Suario & Pelizario vocatur ignoran-  
tia concomitans, quam ipsi admittunt,  
quando res est gravis, & difficilis con-  
cessionis, & præsumitur adesse, cum vel  
impetrans in supplica, hoc non expli-  
cat, vel Pontifex in ipso privilegio non  
facit specificam mentionem illius juris  
Conciliaris, cui derogat. Verum est,  
quòd in rebus facilioribus, & quæ so-  
lùm bonum animarum respiciunt, non  
præsumitur talis inadvertentia in Pon-  
tifice, sed quòd ut verus Pastor anima-  
rum illud semper attendit, & vult uti  
plenitudine suæ potestatis.

14. Adde, quòd neque in rebus gra-  
vioribus talis inadvertentia admittitur,  
quando frequenter, & de stylo sine ma-  
gna difficultate conceduntur, ut patet  
in dispensationibus quotidianis matri-  
monialibus, & similibus, in quibus, ut  
dicemus *infra*, loquendo de Tridenti-  
no, etiamsi Papa non faciat mentio-  
nem specificam Concilii, cui d:rogat,  
tenent dispensationes, quia frequentia,  
& stylus hoc obtinuerunt; at extra hos  
casus requiritur clausula revocatoria  
modo dicto. Hanc partem à fortiori  
tenent omnes Authores, quos pro pri-  
ma sententia, *num.* 2. retulimus, quia si  
absolutè, & respectu omnium, docent  
non sufficere ad derogandum Consti-  
tutionibus Conciliorum Generalium  
in privilegio, quòd de novo concedi-  
tur, clausulas generales derogatorias,  
sed seuniri specificas, saltem in com-

L  
muni



nam sub nomine Conciliorum Generalium, necessario ad minus debent intelligi dicti Authores de rebus majoris momenti, & quæ lites, & damna inferre possunt, vel bono communi, vel alicui personæ, vel Ecclesiæ, seu Communitati particulari nocent. Et reverà negari non potest, quòd res graviores, & quæ tangunt jus tertii, jam stabilitæ & possessæ habeant majorem intrinsecam resistantiam, ut dissolvantur. Ergo ad sui revocationem indigent fortiori derogatione, quàm alia res, quæ nec bono communi, nec tertio particulari obsunt, sed potius animarum salutem respiciunt: Ergo si istæ, in prima illa sententia, indigent ad sui revocationem clausulis generalibus revocatoriis in privilegio noviter concessio, illæ indigent specificis & formalibus.

210.

15. Et juxta hanc doctrinam in decisionibus Rotalibus quotidie experimur, quòd in privilegiis concessis alicui, vel aliquibus regularibus, circa liberationem à solutione decimarum, nisi in revocatoriis privilegiis fiat specifica mentio, *Cap. Nuper, de decim.* quod continet constitutionem Concilii Generalis Lateranensis, non manet revocata dispositio Concilii, si e fuit decisum in causa Orhanen. decimarum 30 *Maj.* & 9. *Junij* 1586. coram Orano, & in Valentina decimarum 9. *Junij* 1637, coram Coccino, & in alia novissima Sabinens. Castri Montis Rotundi 3. *Augusti* 1626. coram eodem Coccino, & habetur in impressis per Paulum Rubenm *Tom. 1. noviss. mar. de anno 1642. decis. 316. n. 11.* ubi notatur, quòd si in privilegio derogatur alicui Concilio Generali in specie, & postea subdatur

clausula, & aliis Conciliis, censetur etiã derogare dicto Concilio Lateranensi, quia illa clausula, & aliis Conciliis, intelligitur etiam de generalibus.

16. Nec alienus à ratione debet reputari modus intelligendi seu explicandi mentes Pontificum in his nostris duabus conclusionibus, cum videamus non absimili modo se ipsos explicare aliquoties, ut patet in *Pro V.* qui cum concessisset amplissimam communicationem privilegiorum, absque limitatione aliqua aliquibus Religionibus non Mendicantibus, & ipsæ prætenderent illis suffragari, in quibuscunque privilegiis, reclamantibus interesse habentibus, in rebus temporalibus, à quorum solutione existimabant se esse immunes tales Regulares, ratione dictæ amplissimæ communicationis, ipse Pontifex edidit aliam Bullam *die 30. Junij anno 1570.* qua declaravit suam mentem nunquam fuisse communicare privilegia quatuor Ordinum Mendicantium talibus Religionibus non Mendicantibus, in attrinentibus ad bona temporalia, sed solum ad spiritualia. Quam bullam ad litteram adduximus *supr. d. sp. 2. de comm. privi. sect. 2. n. 24.* vide ibi in *fin. & nu. 21. & 22.* & communiter Doctores in his, quæ salutem & bonum animarum respiciunt, sine læsione alicujus tertii, extendunt privilegia, & revocationes coarctant, seu restringunt, quod non ita faciunt in aliis.

17. Cui doctrinæ est valde consona, **212.** alia tradita à Molin. *Tom. 1. de just. disp. 173. §. O. casione legitimatonis,* ubi ait: Quòd si rescriptum, seu privilegium contrariatur legi, seu præjudicio notabili Reipublicæ, vel alicujus tertii, tunc

neces-



necessaria est in privilegio clausula, quæ in speciali deroget legi, cui opponitur, dicendo, non obstante tali lege in contrarium lata, quòd si non vergeret privilegium in notabile damnum alicujus, sufficeret, & necessaria esset clausula generalis, non obstantibus quibuscunque juribus in contrarium; & rursus addit, si autem rescriptum derogaret juri in Concilio aliquo Generali condito, tunc esto, jus illud concessionibus futuris non derogaret, necessarium esset (ait cum Covarr.) apponere clausulam; (Non obstante quocunque jure contrariu disponente etiam in Concilio Generali statuto.) Hæc Molina: ex quo patet, quòd diversimodè debent explicari privilegia, quæ notabiliter nocent aliis, seu bono communi; ac illa, quæ nulli nocent, & sunt in favorem animarum. Neque alia ratio reddi potest, nisi quia favorabilia amplè petunt interpretari, alia verò strictè. Vide dicta *disp. 1. qu. 2. serè per totam*, præcipuè à *num. 6. & disp. de revocat. sect. 1. num. 11.*

18. Nunc restat grave dubium examinandum; videlicet, an ea, quæ *suprà* dicta manent de Conciliis Generalibus vetustis, eodem modo intelligenda sint de Concilio Generali novo, hoc est, de Tridentino. In qua difficultate triplicem modum dicendi invenio, seu triplicem sententiam.

213. 19. Prima asserit, quòd licèt ad derogandum cuique Concilio Generali veteri, desideretur, & sufficiat clausula expressa revocatoria Conciliorum Generalium in communi: At si Concilium Generale sit modernum, ut est Tridentinum, ad ejus revocationem

omninò requiritur specifica & indivi-  
dua mentio illius in novo privilegio, quod illi opponitur, aliàs revocatio erit nulla ex defectu talis requisiti. Hic modus dicendi tribuitur Enriquez *lib. 7. de Indulg. cap. 26. num. 3.* Vivald. in *Can- delab. 3. p. cap. 12. num. 22.* sed apud ipsos hoc non clarè inveni; tenent tamen Thom. Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 27. num.* Salgad. de *retent. Bull. p. 2. cap. 1. num. 62.* & alii *infra* referendi, probant ex majori autoritate novi Concilii, sed nos aliqua alia non levia fundamenta adducemus *infra*.

20. Secunda sententia defendit, nullam esse differentiam inter Concilia Generalia antiqua, & nova, sed omnia esse prorsus ejusdem autoritatis; sic Garcia de *benefic. 4 p. cap. 5. num. 30. & 32. & num. 41.* rejicit differentiam positam in prima sententia à Sanch. & aliis inter Concilium novum & vetus, quia sine fundamento (ait) & contra praxim communem. Ideoque addit, jam non invenitur in novis impressio- nibus Vivaldi, cum Garzia sentit Castro Palao *Tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 21. §. 4. n. 10.*

21. Imò addunt ipsi Authores (& erit tertius modus dicendi) minus requiri, ut derogetur statutis in Tridentino, quàm in aliis Conciliis Generalibus; nã ad horum revocationem desideratur expressa mentio, saltè sub clausula Conciliorum Generalium; at respectu Tridentini neque specialis, neque generalis mentio desideratur, ut illi derogatum intelligatur, in eo quòd privilegio novo prorsus opponitur; ex eo quòd in decreto ultimo Tridentini *sess. 25. sic de*

214.

215.



declaratur: *Omnia in dicto Concilio statuta de morum reformatione, & Ecclesiastica disciplina, ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolica, & sit, & esse intelligatur.* Per quæ verba videtur sublata resistantia inventa in aliis Conciliis Generalibus pro futuris concessionibus, clausulam specificam derogatoriam Conciliorum Generalium non habentibus, ac proinde, quando Pontifex aliquid repugnans Tridentino decernit, non contradicit ei, sed facultate sibi expressè in ipso tradita utitur, & sic ait Garcia num. 30. quòd quando Pontifex aliquid concedit contra statuta in Tridentino, non illi derogat, sed potius videtur uti facultate sibi in eo concessa, quam aliquid facere contra Concilium. Non ergo indiget derogatione speciali Tridentini privilegium, quod à Pontifice conceditur, repugnans alicui dispositioni illius: sic dicti Authores allegantes in sui favorem Anastasium German. de Sacramentum imm. lib. 3. cap. 11. num. 47. Alderete in allegat. pro reg. exempt. part. 1. cap. 8. n. 20. qui adducit Aretinum & Felinum pro hac sententia.

216.

22. Probant hanc suam conclusionem primò ex variis exemplis. Nam in secundo gradu nunquam dispensari præcipit Concilium Tridentinum, Cap. 5. sess. 24. de n. arim. nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam: sed videmus, quòd frequenter dispensatur inter infimæ plebis homines. Idem apparet in coadjutoriis, & aliis, quæ à Sacro Concilio sunt prohibita, & tamen nulla illius mentio, nec derogatio fit in talibus dispensationibus. Adducit Garcia plures decisiones Rotæ in sui favo-

rem, & declarationes Eminentissimorum Cardinalium Congregationis Concilii, & quòd ita servat Cancellaria, & quòd magis est, adducit motum proprium Pii V. in quo declaravit, neque speciali, neque generali derogatione Tridentini opus esse, in quibusvis concessionibus Apostolicis manu Papæ signatis, quem motum proprium placuit hic inferere, & est tenoris sequentis. *Motu proprio, &c. cum plerumque contingat dubitari in causis Rotæ, auditorio nostro, & alibi, pendentibus super provisionibus, & commendis, unionibus, & alijs dispositionibus, ac alijs gratijs Apostolicis, quæ contraveniunt decretis Concilij Tridentini, an sit opus speciali derogatione ejusdem Concilij? Nos quæcumque dubia de super mota, & movenda submovere volentes, ac quorumcunque decretorum Concilij hujusmodi tenores presentibus pro expressis habentes, motu simili, &c. Ex certa nostra scientia, & de Apostolica potestatis plenitudine, hæc nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione declaramus, neque speciali, neque generali derogatione ejusdem Concilij opus fuisse, & esse in quibusvis collationibus, provisionibus, commendis, unionibus, &c. & alijs dispositionibus de quibusvis beneficijs Ecclesiasticis, cum curâ, & sine curâ secularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, etiam Monasterijs, Conventualibus, & Consistorialibus, ac curam animarum habentibus, quæ quomodolibet vacârunt, & vacabunt, ac etiam gratiam, & justitiam concernentibus, & alijs gratijs, ac concessionibus Apostolicis per nos, ac felicis recordationis Pium Papam Quartum prædecessorem, nec non quoscunque Romanos Pontifices successores nostros, nostra tamen, & præ-*  
decess-



decessoris, ac successorum praedictorum propria manu signatis, ac Sedem Apostolicam, quibusvis personis, Collegiis, & alijs pjs locis, & alijs quomodolibet factis, & faciendis, ac concessis, & concedendis, & ita per quoscumque iudices, & causarum Palatii Apostolici Auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales in quibusvis causis etiam per appellationem pendenti- bus, iudicari, & definituri debere sublata, & c. *litterum quoque decernimus, volentes praesentis nostri motus proprii schedulam in cancellaria Apostolica publicari, & in illius libro, qui interno nuncupato, describi, non obstantibus quibusvis constitutionibus, & ordinationibus stylo Palatii, & c. ceterisque contrariis quibuscumque: ille motus proprius fuit lectus & publicatus Roma in Cancellaria Apostolica anno Incarnationis Dominicae 1570. die vero Sabbathi 23. mensis Decembris, Pontificatus Sanctissimi D. N. Papae Pij V. ann. 5.*

217. 23. Ex quo Sacra Congregatio Concilii in declaratione Abulensi ad quaesitum, an ad derogationem S. Concilii Tridentini sufficiat Papam contra illud rescribere, absque illius speciali, vel generali derogatione, ut Pium V. declarasse dicitur, sic respondit: *Si supplicatio manu Papae signata fuerit, non requiritur, nec specialis, nec generalis derogatio.* Accedit alia declaratio, quam adducit sum. Bull. Quarant. verbo Confessor, ad finem, tenoris sequentis: *Illustrissimi, & Reverendissimi, D. D. Sixtus Papae V. felicis recordationis indulget Patribus Congregationis Oratorij, ut qui ex eis, proprio examine ad audiendas confessiones in ipsa urbe, a Vicario approbati fuerint, extra eandem urbem, absque alio examine, de licentia tamen Ordinariorum locorum,*

confessiones liberè audire valeant. Sed quia in partibus praecipue Neapolitanae, ipsis in dubium revocatur privilegium praedictum, sub pretextu, quod non contineat praesens derogationem, neque mentionem aliquam Concilii Tridentini sess. 13. cap. 15. quo cavetur, ne quis absque priorum Diocesanorum examine audeat confessiones audire. Ideo praedicti Presbyteri Congregationis Oratorij desiderant supplices super hoc responsum à Sacra Congregatione, an fuerit necessaria derogatio Sacri Concilii Tridentini. Congregatio Concilii censuit, si huiusmodi privilegium fuerit, ut ponitur à Sede Apostolica concessum, utique omninò esse observandum, quamvis nullam derogationem, aut mentionem Concilii Tridentini contineat. Haec Cardinalis Matthaeus

218. 24. Huiusmodi Constitutionem cum declarationibus relatis de verbo ad verbum referunt Quaranta in sum. Bull. verb. Confess. Riccius lib. 5. de jur. personarum, cap. 14. num. 15. & lib. 8. cap. 4. num. 6. Diana part. 7. tract. 2. resol. 20. alios referens, Graph. Tom. 1. conf. lib. 5. de homicid. conf. 4. num. 26. ubi ait: *Quod etiam si in Tridentino adsit clausula expressè revocatoria pro futuris privilegiis, sufficit ad sui revocationem clausula saltem: Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis.*

219. 25. Vide varietatem Doctorum in re quidem gravissima, perpende fundamenta, & invenies omnes probabiliter loqui. Ego tamen sentio, quod ut revocentur statuta, seu privilegia inserta Tridentino, vel ab ipso confirmata, non sufficiunt in novo privilegio clausulae communes, & generales revocatoriae, sed omninò desiderantur specifi-



ca, & individuales. Tum propter ejus magnā auctoritatem; tum, quia Concilium Generale novum, ut Tridentinum, exactè recognovit convenientiam, & disconvenientiam rerum pro statu præsentis, & hoc cum maturo & vigilantis examine tot sapientissimorum & prudentissimorum virorum; ex quo habet majorem resistantiam pro futuris dispositionibus, quàm alia Concilia Generalia antiqua. Unde non est mirum, quòd ex hac parte indigeat fortiori & expressiori revocatione, qualis est specifica, & hoc fortè est fundamentum primæ sententiæ, licet clarè non exprimat.

220.

26. Sed accipe aliud non leve desumptum ex Bulla Pij IV. in fine Concilii relata, ubi confirmat omnia decreta Tridentini, cum clausulis revocatoriis, & resistantiis urgentissimis omnium privilegiorum in contrarium. Et ferè idem fecit Greg. XIII. revocando quascunque concessiones factas contra disposita in Tridentino à Pio V. suo antecessore, de quo *infra*, & passim in novis concessionibus factis in favorem Regularium, à Summis Pontificibus, additur clausula, *dum decretis Tridentini non adversentur*, per quam manifestè videntur confirmare omnia disposita in Tridentino, ex quibus sic formo rationem: Statutum, seu lex pluries confirmata, redditur plus stabilita & firma, ut omnes testantur: Ergo includit majorem resistantiam ad sui revocationem, quàm quælibet alia, quæ sic fortificata non est. Cum ergo ad derogandum aliis Conciliis Generalibus requiratur, & sit necessaria saltem clausula generalis modo assignato supra; ad derogandū

Tridentino sic stabilito, necessaria erit clausula specifica, & individua. Non ergo Authores primæ sententiæ sine sufficienti fundamento loquuntur; ut ait Garcia, quibus *ibi* relatis adde Carrot. in repet. lib. 6. part. 2. ampliat. 1. limit. 1. Hodiedum de incompatibilitate benefic. 2. p. cap. fin. num. 58. Azor. 2. part. lib. 8. cap. 8. quest. 7. Menoch. & Zerol. relatos ab ipso Garcia ubi *suprà* nu. 36. Doctissimum Montefinum in manuscriptis de pœnit. disp. 2. quest. 3. num. 1. Vincent. Candidum, Magistrum Sacri Pal. Tom. 1. disquisit. 3. art. 28. dub. unico. Quid autem sentiendum sit cum adduntur clausulæ ex certa scientia, plenitudine potestatis, & motu proprio, dicemus *infra* disp. 7. sect. 7. dub. 5.

27. Ex quibus inferunt graves Doctores, quos refert, & sequitur Bosius de Jubilæo sect. 1. cas. 10 §. 2. nu. 10. & sequentibus. Quod quia in Bulla Cœnæ Dominici non sit specifica mentio Tridentini, non manet revocata facultas concessa Episcopis ab ipso Concilio sess. 24. cap. 6. de reformat. absolventi à casibus occultis, etiam ab hæresi, non obstante quòd in Bulla Cœnæ addatur clausula derogatoria, *Cujusvis Concilij*. Nam ut optimè docuit doctiss. Montefinus *ubi supra*. Illa verba posita in derogatione Bullæ Cœnæ, *Cujusvis Concilij decreta*, etiam reperiebantur posita ante Tridentinum; nam Bulla Cœnæ multò antiquior est, quàm Tridentinum, & consequenter dictam clausulam. *Cujusvis Concilij*, intelligunt præfati Doctores de Conciliis Provincialibus, seu Nationalibus. Neque urget in contrarium ratio, quæ videtur Dianæ firmissima p. 7. tract. 2. resolut. 23. nem-

221



pe, quòd nullum est assignabile Concilium Provinciale, imò neque Generale, cui derogetur per talem clausulam, nisi Tridentinum, quia si, ut inquit Montefinus, eàdem clausulâ utebatur Bulla Cœnæ ante Tridentinum, interrogo, cui Concilio derogabat, tunc, cum nullum esset, quòd illam facultatem Episcopis concederet?

Dicendum ergo est, quòd non otiosè posita est in Bulla Cœnæ talis clausula; licet de præsentis nullum Conciliū Provinciale sit assignabile, cui derogetur: nã cū lex semper loquatur, & sit perpetua; etiamsi de præsentis nulli juri deroget, est utilis ad derogandum futuris Cœniliis Provincialibus, si talia in eis Episcopi intenderent cōcedere, & sic erit lex præservativa futuri eventus. Quapropter, nisi fiat specifica, & individualis mentio Tridentini in novo statuto, seu privilegio, non intelligitur derogatum, & cum hucusque in nulla Bulla Cœnæ talis clausula specifica sit posita, nō intelligitur dicta facultas Episcoporum revocata. Sed an ex aliis capitibus hodie revocata sit, maximè circa absolutionem ab hæresi, dicemus suo loco; ita P. Candidus ubi *supr. num. 26. in fin.*

222. 28. Præcedens tamen doctrina limitanda est, quando in memoriali, seu petitione fit instantia, ut concedatur hoc, vel illud, non obstante quòd sit contra aliquod statutum Tridentini, quia tunc non est necessaria in instrumento concessionis, ut fiat mentio Tridentini, nec in specie, nec in genere, sed sufficit: Papam dicere, *fiat*, vel subscribat dicens: *Conceditur, ut petitur*, quia dum supplicatis annuit, & cum notitia narratorum concedit, censetur

de facto velle se revocare contrarium; mens enim concedentis se conformat supplicanti, à quo etiam specificatione accipit, & quando constat de voluntate Papæ, non est necesse de alio disputare, ut constat ex *Cap. Nonnulli, de rescript.* & *Cap. Ex parte sua, de Capell. relatio enim, seu narratio supplicantis, non minus, quàm tenor instrumenti insertus in concessione Papæ, operatur: ita Archidiacon in Cap. In præsentium, nu. 1. qu. 1. Aret. conf. 15. Ricc. 3. part. decis. Arch. Neapol. decis. 36. nu. 2. Rodrig. Tom. 3. questionum, qu. 46. art. 1. §. 2. conclus. 3. & quia in dispensationibus, & concessionibus, quæ de stylo Curia frequentè conceduntur, contra aliqua statuta, sive Tridentini, sive aliorum præcedit, talis narratio, quæ actualiter in mente Papæ est, ex frequenti usu, non solet in concessionibus mentionem facere jurium, quibus derogat, ut bene notat, P. Donat. *Tract. 14. q. 4. n. 12. 13 & 14.* sed de hujusmodi notitia Pontificis debet constare, ut fidem faciat in foro externo, licet in foro conscientia veritas sufficiat.*

29. Restat nunc respondere fundamentis oppositarum sententiarum, quod fiet breviter dicendo: Quòd debent coarctari, vel extendi juxta conclusiones, & doctrinam à nobis traditam. Unde motus proprius Pij V. & declarationes Eminentissimorum Cardinalium; dato, quòd sint authentica, & sufficienter publicata, de quo non constat, debent intelligi, quando in narrativa, seu petitione præcessit mentio expressa Tridentini, nec aliud ex ipsis potest convinci. Vel dic, quòd admissio, & non concessio, quòd nihil eis deficeret, & lo-

223.



& loquerentur de omnibus casibus, jam consuetudo, & stylus novus oppositum obtinuit; & sic manent revocatae per usum contrarium dictae explanationes.

224. 30. Ad illud autem, quod potest objici ex secunda sententia desumptum ex clausula Concilii, *relinquentis omnia in eo contenta* (praeter definitiones) dispositioni & voluntati Romani Pontificis, facile responderetur; quod ibi nulla major facultas conceditur ei, quam haberet, etiamsi talis clausula non apponeretur, sicut habet eandem, circa omnia statuta aliorum Conciliorum Generalium talem clausulam non habentium; sed ibi posita fuit expressè, quae in aliis implicitè continebatur. Quis enim rationabiliter dubitare potest, quod Papa habet absolutam potestatem supra statuta Conciliorum Generalium, & quod sicut suae auctoritatis est dare valorem talibus statutis; sic ea poterit facere invalida, quando recta ratio id postulaverit; unde nihil contra nostram assertionem.

31. Quid autem sentiendum sit, quando in derogatione novi statuti, seu privilegii adsunt clausulae posita in secunda classe *supra sect. 2. num. 7. hujus disputationis*, & similes, *sectio sequens* declarabit.

#### SECTIO IV.

*Quid operentur clausulae generales revocatoriae in secundo ordine posita, praecipue circa Tridentinum.*

225. 1. **D**ivisimus clausulas generales in duas classes *sect. 2. num. 7. hujus*

*disputationis*, & de primis egritis hucusque, nunc agendum restat de secundis, & ut à claritate intenta minimè recedamus, repetam illas, & sunt hujusmodi: *Non obstantibus quibuscunque privilegijs, etiamsi de eis de verbo ad verbum mentio fieri debeat, vel quorum tenores pro expressis habentes, vel non obstante quocunque privilegio, sub quacunque forma concessio: vel non obstantibus quibuscunque Constitutionibus Apostolicis, vel etiam cujuscunque Concilij provincialis seu generalis, & similia.*

2. Dubitatur ergo, an quando in revocatoria alicujus novi privilegii, seu statuti adest aliqua ex dictis clausulis, vel omnes simul, intelligantur revocata quaecunque antecedentia; sive in jure communi, sive in Conciliis generalibus; etiam in Tridentino, & denique in aliis quibusvis privilegijs, sive Religiosis in communi, sive alicui personae particulari concessis, excipiendo semper illa, quae in contractu oneroso fundantur, vel jus tertii laedunt in re gravi temporali acquisita, & possessa; taliter, quod omnes dictae clausulae, & quaelibet illarum, respectu privilegiorum & statutorum antecedentium quomodo libet concessorum, operentur idem ac operantur clausulae formales specificae; ex eo quod aequivalenter reputantur tales, & sic revocent quodlibet privilegium antecedens, quaecunque clausulas derogatorias derogatariorum, & restrictivas urgentissimas habentes. Intellige in omni, & solo eo, quod novum privilegium clarè contrariatur antiquo, & sine cujus derogatione novum non potest habere effectum quem petit ex proprietate sermonis;

226.